



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## Universitätsbibliothek Paderborn

### **Cvrsvs Theologici ...**

Ea Brevitate Conscriptus, Qvam Tot Tantarvmqve Rervm Amplitudo Et  
Varietas Patitvr ...

Quas Secunda Secundæ Et Tertia Pars Divi Thomæ Complectitvr -  
Qvæstiones Insvper Ad Mores, & praxim spectantes, maximè circa  
Sacramenta, accuratè declarantur

**Carleton, Thomas Compton**

**Leodii, 1664**

Disputatio LXXII. De neceßitate Sacramenti Eucharistiæ.

**urn:nbn:de:hbz:466:1-13826**

VIII. Dico secundò: Si cum Patribus supra citatis asseramus Sacramentum Eucharistiæ in recto solum importare corpus & sanguinem Christi, species in obliquo, tunc omnes hostias consecratas, non solum quæ in eodem altari sunt, aut pixide, sed etiam in toto orbe, esse unum numero Sacramentum, sicut si Verbum assumeret plures humanitates, esset tantum unus homo, aut si eadem particula panis, una scilicet hostia in mille diversis locis statueretur, & in singulis esset diversa albedo, adhuc esset unum album. Hanc sententiam tenet Suarez disputatione trigesima nonâ, sectione quartâ; & præter dicta probari videtur ex illo Apostoli primæ ad Corinthios, versu decimo septimo, *Omnes idem corpus sumus, qui de eodem pane participamus.*

Sin verò quis velit species ingredi in recto, dicere poterit quoties species physicè discontinuata multiplicantur, tot esse diversa physicè Sacramenta: ita Vasquez disp. centesimâ septuagesimâ octavâ, capite secundo, si tamen physicè discontinuata species moraliter conjungantur, ut contingit de iis, quæ sunt in eadem pixide exempli gratia, moraliter sunt unum Sacramentum; sicut enim est unum convivium licet rebus diversis constet, ita & unum esse potest ferculum licet illius partes sint discontinuæ. Quando autem moraliter censeatur unum numero Sacramentum, quando non, ut in aliis rebus, ita & in hac relinquendum est communi hominum ætimationi.

IX. Si species ingrediuntur Sacramentum in recto, pro physicè discontinuata specie ratione specierum unum dicitur Sa-  
cramentum.

## DISPUTATIO SEPTUAGESIMA SECUNDA.

### De necessitate Sacramenti Eucharistiæ.

**S**acro-sanctam Eucharistiam, Sacramentorum omnium esse absque omni comparatione perfectissimum, in superioribus est demonstratum, cum Christum Deum & hominem in se contineat, ubi etiam ostendimus ex divinisimo hoc Sacramento bona plurima excellentissimaq; in eos qui illud dignè suscipiunt, derivari. In presenti ergo quarimus an non utile tantum nobis sit, sed etiam necessarium.

#### SECTIO PRIMA.

*Utrum sumptio Eucharistiæ vel in re vel in voto, sit medium necessarium ad salutem.*

I. Duplex est necessitas, antecedens & consequens.



**N**ecessitas duplex est, antecedens & consequens: Necessitate ergo antecedente certum est Eucharistiam non fuisse ad salutem necessariam, cum Deus multis aliis modis homines salvare potuerit sine Eucharistiâ, vel ullo omnino Sacramento, sicut & sine ipsâ Incarnatione. Sermo itaque tantum est de necessitate consequente, nempe utrum positâ institutione hujus Sacramenti, sit illius usus necessarius ad salutem, non necessitate solum præcepti, sed mediæ, ita scilicet ut requiratur usus hujus Sacramenti ad aliquem effectum simpliciter ad salutem consequendam necessarium, sicut requiritur Baptismus.

II. Hæretici quidam olim Eucharistiam si-

omitto antiquos quosdam hæreticos, qui ita necessariam ad salutem Eucharistiæ sumptionem existimabant, ut parvulis unâ cum Baptismo Eucharistiam darent, quam consuetudinem apud

R. P. Comptoni Theol. Schol. Tom. II.

nonnullos ex Græcis viguisse docent Auctores, mul cum & Armenis familiarem fuisse constat, imò eò Baptismo usque procefferunt aliqui, ut hominibus jam defunctis Eucharistiam ministrarent, ut refertur in sextâ Synodo, & in Concilio Antifiodorensi, Canone duodecimo, & Concilio Carthaginensi tertio, Canone sexto: ubi etiam fit mentio aliquorum apud quos in more erat etiam Baptismus defunctis administrare.

His verò omisiss, Catholici nonnulli dixerunt Eucharistiam vel re, vel voto esse tam necessariam ad vitam spirituales, quam est cibus ad corporalem: ita Petrus Soto, Rossensis, & alii & inclinare videtur Sanctus Thomas hic, quæst. septuagesimâ tertiâ, articulo tertio, & quæst. septuagesimâ nonâ, articulo primo ad primum, & quæstione octogesima, articulo undecimo ad primum.

Notandum primò cum Vasquez disput. centesimâ sexagesimâ nonâ, cap. primo, num. sexto, aliqua ita re ipsa esse necessaria ad salutem consequendam, ut sine iis in re non positis haberi omnino salus non possit, qualia sunt in adultis auxilia gratiæ prævenientia, in parvulis Baptismus extra casum martyrii, &c. hæc verò licet sint necessaria necessitate mediæ, non tamen præcepti,

III. Ex orthodoxis aliqui dixerunt Eucharistiam tam esse necessariam ad vitam spirituales, quam est cibus materialis ad corporalem.

IV. Aliqua etiam in re posita, necessaria sunt ad salutem.

cum in nostrâ potestate non sint. Alia autem necessaria sunt & necessitate mediâ & præcepti, ut modò est fides in adultis. Alia tandem re ipsa non sunt necessaria, sed solum re vel voto, ut est Baptismus in adultis, & lapsus post Baptismum Pœnitentia.

V. Notandum secundò cum eodem, licet non minus ad salutem requiratur executio eorum, quæ necessaria sunt necessitate præcepti quàm mediâ, diversam tamen esse utriusque necessitatem, observatio namque præcepti obligantis sub mortali, solum conducit negativè ad salutem, ne scilicet per illius transgressionem impedimentum aliquod salutis nostræ opponamus: ea verò quæ sunt necessaria necessitate mediâ, positivè concurrunt ad salutis consecutionem, quia secum aliquid semper afferunt, quod peccata tollat, & homines, si in peccatis sint justificet, quâ de causâ hæc ita sunt media, ut etiam sint remedia, ut notavit Petrus Soto apud Vasquez ibidem.

VI. Nonnunquam verò, imò penè semper in eandem incidit utraque necessitas, & consequenter illius executio & negativè, vitando scilicet peccatum, seu beatitudinis impedimentum, & positivè ad salutem concurrunt, afferendo scilicet id quod infallibiliter gratiam confert, qualia sunt Baptismus & Pœnitentia. Quærimus ergo an Eucharistia sit hoc modo ad salutem necessaria?

VII. Prima conclusio: Sacramenti Eucharistia sumptio parvulis non est ad salutem necessaria. Probat ex Concilio Tridentino sessione vigesimâ primâ, canone quarto, ubi sic habetur: *Si quis dixerit parvulis, antequam ad annos discretionis pervenerint, necessariam esse Eucharistia communionem, anathema sit.* Et ratio est clara, certum enim est eos & gratiam per Baptismum recipere, & semel receptam amittere non posse, cum peccare nequeant: unde si moriantur, in gratiâ moriuntur, & consequenter cœlum infallibiliter consequentur.

VIII. Dices: Licet hoc Sacramentum re susceptum non sit ipsis ad salutem necessarium, esse tamen necessarium in voto. Contra: Vel enim per votum Eucharistia intelligitur propositum illam suscipiendi, & hoc sensu certum est parvulos non debere habere illius votum, cum nullum actum deliberatum elicere possint. vel per votum Eucharistia intelligitur quod licet quidem per Baptismum obtineant justificationem, cum directâ tamen obligatione & onere recipiendi Sacramentum Eucharistia, sicut licet per contritionem tollantur peccata omnia mortalia, hoc tamen fit cum obligatione suscipiendi Baptismum, si contritio illa sit ante Baptismum, vel accedendi ad Sacramentum Pœnitentia, si contritio sit de peccatis post Baptismum commissis. Unde contritio est quasi substitutum quoddam Baptismi, & Pœnitentia, quæ sunt media primaria ad justificationem instituta, contritio autem solum secundariò, & quasi loco illorum peccata tollit, & consequenter cum obligatione recipiendi illa tantquam media primaria. Parvulis verò nulla incumbit hujusmodi obligatio, ut constat, ergo &c. Quod magis explicabitur sectione sequente.

SECTIO SECUNDA.

Qua necessitate teneantur adulti Eucharistia Sacramentum suscipere.

NON pauci, nec infimæ notæ Theologi existimârunt, nullum dari præceptum divinum suscipiendi hoc Sacramentum: ita Halensis in 4. parte primâ, quæst. quinquagesimâ primâ, membro quarto, Divus Bonaventura dist. duodecimâ, art. quinto, quæst. primâ: Carthusianus in quarto, dist. nonâ, quæst. primâ, artic. primo: Ferraralibro quarto contra gentes, cap. sexagesimo primo: Caietanus tertiâ parte, quæst. octogesima, art. undecimo: Sylvester verbo *Eucharistia*, & alii. Ratio ipsorum est, quia nullum nec in Scripturâ apparet, nec ab Ecclesiâ aut Patribus traditur hujusmodi præcepti indicium.

Secunda nihilominus sententia affirmat, à Christo Domino latum esse præceptum sanctam Eucharistiam sumendi. Hanc ut probabiliorè, & magis piam amplectitur Sanctus Thomas, & non tantum, quod de eo fatetur Caietanus, ut tutiorem. Eandem etiam opinionem sequitur Richardus in quarto, dist. duodecimâ, artic. sexto, quæst. undecimâ: Durandus in quarto, distinct. nonâ, quæst. secundâ, num. septimo: Paludanus in quarto, dist. nonâ, quæst. primâ, art. primo & secundo. Navarrus in summâ, cap. 21. num. 57. Soto quæst. 1. a. 11. Hanc sententiam, quia eam veriorem existimo, magis in particulari declarabo: hic tamen præcipue loquimur de necessitate mediâ; de necessitate enim præcepti fusè dicitur infra, ubi proprius de eo tractandi est locus.

Secunda conclusio: Quamvis necessitate præcepti teneantur adulti Sacramentum Eucharistia certis quibusdam temporibus sumere, ut postea ostendemus, non tamen est eis medium necessarium, vel in re, vel voto ad justificationem obtinendam: ita Suarez hic, disp. quadragesimâ, sect. primâ, Vasquez disp. centesimâ sexagesimâ nonâ, cap. tertio: Coninck quæst. septuagesimâ tertiâ, art. tertio, dub. unico, & alii. Ratio est; nec enim est instituta Eucharistia primariò ad conferendum primam gratiam, sed ad illius augmentum, & gratiam nutrientem, ut docet Florentinum in decreto ad Armenos §. Quinto *Ecclesiasticorum Sacramentorum*, & Tridentinum sessione decimâ tertiâ, capite secundo, dicens institutum esse hoc Sacramentum tanquam spirituales animorum cibum, quo alantur & confortentur viventes vitâ Christi: & ibidem, canone quinto damnat eos, qui dicunt præcipuum fructum Eucharistia esse remissionem peccatorum. Unde connaturaliter ad effectum suum præstandum supponit vitam in subiecto, quâ de causâ censetur ab omnibus Sacramentum vivorum.

Hinc probatur secunda pars conclusionis; licet enim lato quodam modo dici possit quivis adultus, dum justificatur, habere votum Eucharistia, in quantum præcepta est illius sumptio, sicut habet generale propositum, seu votum observandi omnia alia præcepta, non tamen potest dici justificari per votum Eucharistia proprie dictum; illud enim solum est votum alicujus rei in justificatione, quod est solum secundariò ordinatum ad conferendam

In quo necessitas mediâ differat à necessitate præcepti.

In eandem fore semper incidit utraque necessitas.

Sumptio Eucharistia parvulis non est ad salutem necessaria.

Dices: Susceptionem Eucharistia esse parvulis necessariam in voto.

I. Multi, & gravissimi Theologi affirmant, nullum dari præceptum divinum suscipiendi Eucharistiam.

II. Alii nihilominus dicunt, dari præceptum divinum à Christo latum sumendi Eucharistia Sacramentum.

III. Sacra Eucharistia sumptio nec in re, nec in voto est medium necessarium ad obtinendam justificationem.

IV. Ostenditur Eucharistia sumptio, nec in voto esse propriè medium necessarium ad justificationem.

conferendam primam gratiam loco alterius, ad quod spectat illius collatio per se ut in contritione respectu Baptismi & Pœnitentiæ constat. Eucharistia autem non ordinatur per se ad primam gratiam conferendam, ergo, &c.

V. *Ad perseverantiam in gratiâ, & consequendam salutem plurimum conclusit sumptio Eucharistiæ.*  
Tertia conclusio: Etiã ad perseverantiam in gratiâ, & salutem consequendam plurimum conducatur Eucharistia, illius tamen sumptio non est ad perseverantiam & salutem consequendam necessaria, nec in re nec in voto, si loquamur de voto in proprio sensu: ita Auctores citati. Probatur: Nam sine Eucharistiâ in re susceptâ multi salutem consequuntur, non ex parvulis tantum, sed etiam adultis, nec ullus dubitat quin si adultus statim post susceptum Baptisma, subito moreretur consequeretur salutem.

VI. *Declaratur quo pacto sumptio Eucharistiæ non sit proprie medium necessarium ad salutem, ne quidem in voto.*  
Quod etiam in voto non requiratur constat; licet enim generale propositum servandi mandata, & consequenter Eucharistiam suo tempore sumendi, sit necessarium ad salutem, non tamen vel contritio, vel confessio est propriè votum Eucharistiæ, hoc est loco illius tribuens perseverantiam; si enim quis morti proximus post susceptum viaticum peccaret mortaliter, & eliceret actum contritionis, teneretur peccatum illud confiteri, non tamen Eucharistiam iterum sumere, ut fatentur omnes; ergo alio modo contritio est votum Pœnitentiæ, quàm vel Pœnitentia vel contritio Eucharistiæ; si enim essent in collatione perseverantiæ subordinatæ Eucharistiæ, quasi illius loco conferrent perseverantiam, deberet iterum sumi Eucharistia, ad quam hic effectus spectat per se, sicut quia contritio est votum Pœnitentiæ, debet Pœnitentia iterari.

VII. *Declaratur alterius quomodo perseverantia non sit effectus Sacramentalis Eucharistiæ.*  
Secundò probatur conclusio: Si enim perseverantia sit effectus hujus Sacramenti, cum effectus Sacramentorum sit certus & infallibilis, quisquis dignè Eucharistiam suscipit, perseverantiæ donum reciperet, quod tamen est apertè falsum. Dices, perseverantiam homini dignè Eucharistiam suscipienti dandam, non absolutè, sed sub hac conditione, si non posuerit obicem, sicut in aliis Sacramentis: datur exempli gratia suo tempore speciale auxilium confirmato ad fidem profitendam, si non posuerit obicem. Sed contra: Quicquid enim sit de effectibus aliorum Sacramentorum, certè in hoc effectu locum habere non potest hæc responsio; hic enim effectus est, ut non ponatur obex, alioqui decretum divinum esset hoc, si dignè receiveris Eucharistiam perseverabis, nisi non perseveraveris, cum ponere obicem sit non perseverare.

VIII. *Res hæc exemplo alio Theologico declaratur.*  
Exempli gratia, si Deus hoc pactum faceret cum Petro, si tale opus bonum feceris, non cades in tale peccatum, omnes censerent infallibiliter ipsum posito bono opere, nunquam in peccatum illud casurum; nec enim minus infallibiliter dabitur ipsi hoc præmium negativum de evitacione illius mali, quàm alteri datur præmium positivum, nempe gratia habitualis, ubi initum est de illâ pactum; & ridiculum videtur pactum Dei in priori casu esse: Non cades in tale peccatum nisi posueris obicem, cum ponere obicem sit cadere; tunc enim pactum esset, non cades nisi cecideris. Cum ergo donum perseverantiæ sit vitare omne peccatum, pactum de perseverantiâ est pactum de non ponendo obicem, sicque tale pactum quale ponunt adversarii, destruit seipsam.

IX. *Objic. Non*  
Dices primò: Non potest homo vivere sine cibo corporali, ergo nec sine cibo spiritali, sed  
R. P. Compromi Theol. Scholast. Tom. II.

Eucharistia est cibus spiritalis, ergo. Contra: *potest quæ vivere sine cibo corporali, ergo nec sine spiritali.*  
Ergo & in parvulis requiritur sumptio Eucharistiæ, cum iis necessarius sit cibus corporalis. Respondetur itaque, argumentum ad summum probare aliquem cibum spiritualem requiri, cum autem, sicut ubi sunt diversi cibi corporales, non requiritur determinatus cibus ad vitam sustentandam, ita nec ubi sunt plures cibi spirituales, unde cum sint alii spirituales cibi præter Eucharistiam, nempe exercitatio amoris Dei, & omnium virtutum, non est cur Eucharistia, licet utilissima censeatur ad vitam spiritualem conservandam necessaria. Deinde hoc argumentum probaret frequentem Eucharistiæ sumptionem esse ad salutem necessariam, cum ita se res habeat in cibo corporali.

Dices secundò: in Scripturâ sæpè insinuari videtur necessitas Eucharistiæ ad salutem: Joannis sexto dicitur: *Nisi manducaveritis carnem filii hominis & biberitis ejus sanguinem, non habebitis vitam in vobis, item: Qui manducat me ipse vivet propinquit me, & Qui manducat hunc panem vivet in æternum.* Respondetur in his postremis locis nullam insinuari necessitatem hujus Sacramenti, sed solum promissionem conditionatam vitæ æternæ ei, qui dignè illud receperit; in hujusmodi enim locutionibus involvitur conditio, sicut cum dicitur eos, qui dant eleëmofynas, qui persecutionem patiuntur propter iustitiam, &c. perventuros ad cælum, sensus est, si reliqua servaverint, & hæc inter omnia opera bona peculiari modo ad effectum illum conducere, quod etiam facit Eucharistia inter Sacramenta. Quo etiam modo intelligi ab omnibus debent verba illa Matthæi ultimo: *Qui crediderit & baptizatus fuerit, salvus erit.* Addo, loca hæc ab omnibus explicari debere, alioqui quævis sumptio Eucharistiæ ad cælum consequendum sufficeret, quod nemo dicet.

Priora autem verba, *Nisi manducaveritis, &c.* arguunt, aliquam necessitatem, non tamen semper necessitatem mediæ propriè dicti, sed tantum præcepti; sicut cum dicitur, nisi quis dios festos religiosè servaverit, aliena restituerit, &c. non intrabit in regnum cælorum, arguitur quidem necessitas horum, non tamen necessitas mediæ, sed præcepti, & hoc sensu loquuntur Patres dum necessariam ad salutem asserunt esse Sacramenti hujus sumptionem: multi tamen ex iis, ut Sanctus Augustinus, Sanctus Cyprianus, & Innocentius solum loquuntur de spiritali manducatione hujus Sacramenti per fidem, quo sensu ait Sanctus Augustinus parvulos hoc Sacramentum manducare, quia per fidem habuit illud credunt. Peculiari tamen ratione conducere videtur sumptio hujus Sacramenti ad gloriam corporis, ob realem conjunctionem corporum nostrorum cum carne gloriosâ Christi, quo sensu sumendus est Sanctus Cyrillus, dum necessariam esse ait Sacramenti hujus sumptionem ad gloriam corporis consequendam, nisi quis eum loqui dixerit de necessitate præcepti.

Hoc etiam sensu capiendus est Sanctus Thomas, vel quòd solum requirat votum Eucharistiæ, sicut votum seu propositum omnium aliorum præceptorum; quod enim non velit Sanctus Doctor Eucharistiam esse necessariam necessitate mediæ, exinde primò constat, quòd hoc saltem in terminis nunquam asseruerit: deinde supra, quæst. sexagesimâ quintâ, articulo quarto corpore, expressè docet duo tantum Sacramenta, Baptis-

X. *Objic. Ioh. nuare videtur Scriptura, Eucharistia sumptionem esse ad salutem necessariam.*

XI. *Primum ille locum, quamvis aliquam necessitatem arguat, non tamen necessitatem mediæ.*

XII. *S. Thomas votum Eucharistiæ non alio modo necessariam esse dicit, quàm votum seu propositum omnium aliorum præceptorum.*

mum absolute, Pœnitentiam verò iis qui post Baptismum sunt lapsi, esse ad salutem simpliciter necessariam; ordinem verò toti Ecclesie, reliqua autem solùm ait esse necessaria secundùm quid.

XIII. Nec obstat affinitas verborum illorum Joannis tertio, versu quinto: *Nisi quis renatus fuerit ex aqua & Spiritu Sancto, non potest introire in regnum Dei*; hæc enim verba, ut constat, latius patent, & sic comprehendere etiam possunt parvulos; illa verò, *Nisi manducaveritis*, &c. solùm erant prolata ad adultos, sicque important præceptum, cujus capaces non sunt parvuli.

XIV. Solùm noto ad confusionem vitandam, quæ in hac quæstione esse solet maxima, votum variis

modis sumi, primò latissimè, pro desiderio cujuscumque rei, etiam non necessaria, quo sensu loquitur Tridentinum sessione decimâ tertiâ, capite octavo de iis qui per fidem & votum hujus Sacramenti spiritualiter communicant. Secundò strictius, pro desiderio & proposito saltem implicito rei alicujus obligantis, qualia sunt præcepta. Tertio strictissimè, pro eo quod substituitur tanquam vicarium alterius ad effectum aliquem conferendum, quem licet conferat, adhuc relinquit obligationem rem cujus hoc est vicarium, suscipiendi, quomodo se habet contritio in adultis respectu Baptismi, & Pœnitentiæ: & hoc solùm sensu negamus Eucharistiæ votum esse ad salutem necessarium.

## DISPUTATIO SEPTUAGESIMA TERTIA.

### De Materia remota hujus Sacramenti.

**E** GIMVS in superioribus de materia permanente, & intrinsecè constituyente hoc Sacramentum, Corpore scilicet & Sanguine Christi, & aliis, ex quibus tanquam ex partibus constat, nunc itaque de materia illius transeunte tractandum, illâ nimirum, quæ in consecratione, seu primâ Eucharistiæ constitutione destruitur, circa quam plurima & scitu dignissima, ut hac Disputatione constabit, à Theologis proponi ac discuti quæstiones solent.

#### SECTIO PRIMA.

##### Quenam sit Materia remota Sacramenti Eucharistiæ.

I. *Fædos Gnosticorum hæc in re errores S. Thomas præmodestia noluit referre.*



T omittere fædos Gnosticorum hac in parte errores, quibus affinis est turpe Manichæorum commentum, quos errores inquit Suarez hic, disp. quadragesimâ tertiâ, sectione primâ Sanctus Thomas recensere propter modestiam noluit. Tres alios hac de re errores refert Sanctus Doctor hic, quæst. septuagesimâ quartâ, articulo primo. Primus error illorum est, qui in pane & caseo hoc Sacramentum conficiebant, quos etiam refert Sanctus Epiphanius hæresi quadragesimâ nonâ, & Sanctus Augustinus libro de hæresibus, capite vigesimo octavo, indeque dicti sunt *Artotyrisæ*, secundò *Cataphryges* sanguinem ex toto infantis alicujus corpore minutis punctationibus immaniter eliciebant, eumque farina miscentes panem inde conficiebant, quem postea ad Eucharistiæ consecrationem impiè usurpabant,

Tertius error à Sancto Thoma relatus erat circa materiam sanguinis; quidam siquidem sobrietatis prætextu aquâ loco vini, in hujus Sacramenti consecratione utebantur, inde dicti *Aquarii*. Hunc errorem præter alios quos refert Sanctus Isidorus, Sanctus Cyprianus, Sanctus Clemens Alexandrinus, & alii, amplecti necessariò debebant Manichæi, qui, ut testatur Sanctus Augustinus libro vigesimo contra Faustum, capite decimo tertio, & Sanctus Leo Papa sermone quarto quadragesimæ, vinum abominabantur. Alii verò vel lac solum, vel lac melle mixtum pro vino consecrabant.

Alii denique, *Ophite* dicti, serpentem, ut refert Sanctus Augustinus citatus capite decimo septimo, & Tertullianus de præscriptionibus hæreticorum capite septuagesimo quarto, juxta altare alebant, qui per Sacerdotis incantationem stans temporibus egressus panem lambebat, ex quo conficiebant Eucharistiæ. Sed hæc mera sunt somnia, & contemnenda potius, quam impugnanda. Quare ut ad rem accedam.

Materia hujus Sacramenti remota est panis & vinum: ita Sanctus Thomas quæst. septuagesimâ quartâ, art. primo, & Theologi omnes, estque expressè

II. *Aquâ nonnulli loco vini in hujus Sacramenti consecratione utebantur: inde dicti Aquarii.*

III. *Ophitarum circa Eucharistiæ consecrationem, ejusdem materiam abusu.*

IV. *Materia remota hujus expressè*